



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

VII. Vt pro modico delicto nemo moriatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

V.

Sapientes etiam decernunt, vt leges quique coram Deo & hominibus æquas statuunt & tueantur: iniquas autem omnino deleant, iustitiam pauperi atque diuiti pari exhibentes lance, & pacem insuper & concordiam pie in hoc sæculo coram Deo & hominibus retinentes.

VI.

Sapientes etiam decernunt, vt nemo Christianum & infontem precio tradat extra patriam, præfertim in Pagani alicuius seruitium: caueat autem diligenter ne illam animam perdat quam Dominus noster Iesus Christus suo sanguine mercatus est.

VII.

Sapientes etiam decernunt, vt pro delicto modico nemo Christianum morti adiudicet, sed in misericordia potius leges administret ad utilitatem populi, & non pro modico eum perdat, qui est opus manuum Dei, & mercimonium eius magno comparatum precio. De quolibet autem crimine accuratius decernito, sententiam præbens iuxta factum, mercedem iuxta meritū, ita scilicet vt secundum diuinam clementiam lenis sit pœna, & secundum humanam fragilitatem tolerabilis. Propensius etiam reminiscatur qui in alium iudicium tulerit, quid a Domino petat ipsemet, cum in hunc modum dicit: *Et dimitte nobis debita nostra*, & reliqua.

Math. 6.

VIII.

Instantius etiam docemus, vt Christianus quilibet illegitimos fugiat concubitus, legemque Christianam recte teneat. Nec permittatur vnquam vt

CIRCA
ANNVM
CHRISTI
1009.

CIRCA
ANNVM
CHRISTI
1009.